

THESES  
PHILOLOGICI ARGUMENTI,

QUAS

CONSENS. AMPL. FAC. PHILOS. IN ACAD. ABOENS.,  
STIPENDIARIOS EXERCENDI GRATIA,

EDIDIT

*JOHANNES HENR. FATTENBORG,*

*Litterat. Orient. Prof. Publ. & Ord.,*

ATQUE

RESPONDENTE

*CAROLO HENRICO LINDEQUIST,*

*Stip. Publ. Wiburgens.,*

In Audit. Philof. die VIII Octobris MDCCXXIII

*h. s. ventilare fecit.*

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



## PHILOLOGICI ARGUMENTA

### Thes. I.

**S**i jure explosa sit veterum Interpretum opinio, qua omnes sacri Codicis Libros, adeoque etiam historica Vet. Test. volumina, Divinæ inspirationis vi esse concinnata statuerunt, recte quoque omnino rejecta est altera post obitum prioris suborta sententia, si illa, quæ Moses de primordiis mundi ex antiquissimis hausta monumentis tradidit, exceperis, omnia cetera historica, quæ in Codice Hebræo leguntur, argumenta, auctores aut ipsissimis, quas enatrant, rebus æquales, aut saltem testium oculatorum vel coævorum ore & fide instructos, posteris memorie tradidisse.

### Th. II.

Quin plura eaque luculenta in Codice Hebræo sese offerunt testimonia, unde concludere licet, e quibus Fontibus omnes gentes nationesque prima sua fata noscere didicerint, ex iisdem etiam sua hausisse historicos Hebræorum scriptores. — Plena etenim sunt illorum volumina antiquis mythis, Fabulis, familiarum gentiumque indicibus & carminibus, longe ante artem scribendi inventam, ut credere fas est, compositis, patrumque ore & traditione in posteros translatis: memorantur hominum locorumque nomina ita efficta & conformata, ut illorum ope rerum gestarum quodammodo servaretur memoria: cui eidem rei etiam aræ exstructæ, lapides erecti, immo putei, speluncæ & arbores proceræ, aliaque his similia monumenta inserviisse intelligimus.

MURUS TERRÆ LÆNCELLIORUM

### Th. III.

*Th. III.*

Quibus vero parcis fontibus cum multa historiæ Israëliticæ gentis rudimenta originem suam debeant, atque cum longe ante Samuelis & Davidis tempora de vulgatori & frequenter artis scribendi apud Hebræos usu vix cogitandum sit, prope fidem certe est, permulta & forsitan plurima, quæ potissimum apud Mosen & in Josuæ, Judicum & Ruth nunc leguntur libris, quemadmodum etiam nonnulla, quæ in Regum Chronicorumque occurrunt annalibus, multis annis post quam ipsæ res enarratæ acciderint, conquisita, collecta, in ordinem redacta tandemque sedula, licet postera, manu exarata fuisse.

*Th. IV.*

Ex his vero rationibus facile etiam intelligi & explicari potest, qui factum fit, ut horum Librorum particulæ quædam aliæ ultimam redoleant antiquitatem, aliæ autem luculentissima prodant senioris ævi vestigia: ut plures cæque inter se de eadem re discrepantes (præsertim in Genesios Libro) passim occurrant narrationes, & denique, ut stili character colorque in uno eodemque libro sœpe diversus fit.

*Th. V.*

Sed quamquam, ut jamjam diximus, horum monumentorum stili color diversus sit, in eo tamen omnia, præsertim antiquiora, convenient, quod, ut poësis apud omnes gentes, ad elegantiores ingenii culturam tendentes, profam præcesserit orationem, ita etiam prior facundia in illis potissimum regnare videtur.

*Th. VI.*

Neque vero solum Historici Hebræorum, verum omnes illorum Autores in id, quasi in commune, conspirant, ut, quæ-

quæcunque aut dicere, aut singere & canere valeant, ea omnia ad Jehovam ejusque cultum & debitam ei reverentiam præstandam referant.

Th. VII.

Ut in omnium aliarum gentium Historia explananda & dijudicanda Mythicum ævum Heroicumque ab isto tempore, ubi simplices nudæque rerum gestarum incipiunt narrationes, quantum fieri potest accurate distingui solet, ita etiam eadem diligentia in historicis Hebræorum operibus exponendis & estimandis haudquaquam negligenda est. Neque hac in re tria temporis momenta in Hebræorum historia commode definiri non posunt: *primum* scilicet, a primordiis mundi ad Abrahamum, quod mythicum recte dicas: *secundum*, ab hoc Israëliticæ gentis auctore usque ad Samuelem & regiæ potestatis constitutionem, cuius intervalli historia, quamquam mythis, fabulis (*Sagor*), miraculisque non prorsus libera, plurimas tamen res, ut gestæ sunt, simpliciter tradit: & denique *tertium*, a Samuele ad civitatis Judaicæ eversionem, sub quo tempore fere omnes res tam plane & ingenuæ proponuntur, quam a Judæis auctoribus, fidei de Jehovah singulari vi & haud raro miraculosa præsentia civitatem Israëliticam gubernante annexis, unquam exspectari & posci potest.

---